Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. V. Aesopus et petulans.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

Visual Library

Fab. V.

Aesopus et petulans.

Successus ad perniciem multos deuocat.
Aesopo quidam petulans lapidem impegerat,
Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit.
Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,
Sed vnde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce diues et potens: huic similiter
Impinge lapidem, et dignum accipies praemi-
Persuasus ille, fecit, quod monitus fuit. (um.
Sed spes fefellit impudentem audaciam:
Comprehensus namque poenas persoluit cruce.

Petulantia ad exitium ruit.

Si res malis ex animi sententia succedunt, impunitatis spe et maiori audacia ad exitium ruunt. Petulans quidam lapidem in Aesopum coniecerat. Hic propter facinus illum laudat, mox et asse, quod pergeret cumulare iniuriam, laetus donat. Semet vlterius cum prosequi vellet: equidem aeris, inquit, nihil habeo amplius: sed ostendam tibi, a quo maiora possis accipere dona. Venit ecce ille diuitiis abundans et auctoritate conspicuus: poteris, si lubet, istum petere lapidibus: et dignum factis reportabis pretium. Haud difficulter nequam sibi passus est persuaderi, eumque laedit pari modo. Spes autem pueri fefellit audaciam: qui prehensus, propter immoderatam licentiam, vltimo supplicio affectus est.

FAB. VI.

Musca et Mula.

Musca in temone sedit, et mulam increpans,
Quam tarda es? inquit, non vis citius progredi?
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
Respondit illa: verbis non moueor tuis;
Sed istum timeo, sella qui prima sedens, 5
Iugum flagello temperat lento meum,
Et lora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer friuolam insolentiam:
Namque vbi strigandum est, et vbi currendum,
Hac derideri fabula merito potest, (scio.
Qui sine virtute vanas exercet minas.

A miseris frustra iactatur iracundia.

Musca, currus parte eminentiori sedens, mulam increpat: quam tarda nunc es, et languida? visne citius progredi, et cauere tibi, ne irata cessantis collum acrius rostro et proboscide pungerem? Respondet mula: vana tua est, bestiola abiectissima, sine viribus ira. Sed illum me audire ac timere oportet, qui, loco in curru mihi proximo sedens, iugum lento flagello temperat, frenisque ad spumam vsque oris me cohibet, celerius vt incedere nequeam. Apage miserrima, tuamque stultam omitte arrogantiam. Ego enim ipse melius, vbi cessandum, et vbi properandum, scio. Hac fabula deridentur omnes, qui viribus destituti iracundiam iactant suam minasque inanes.